

deret quemquam? Quæ utique si præcivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præcivit. Hæc prædestinationis Sanctorum nihil aliud est, quam præsentia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Ceteri autem ubi, nisi in massa perditionis, iusto Divino iudicio, relinquuntur, ubi Tyrri relictii sunt, & Sidonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent? Sed quoniam, ut crederent, non erat eis datum, etiam, unde crederent, est negatum. Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio Divinum naturaliter minus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant; & tamen, si Dei altiori iudicio a perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta Divina, vel facta, per quæ possunt credere, si audirent utique talia, vel viderent. In eadem perditionis massa relictii sunt etiam Judæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis, clarisque virtutibus &c. Sed nec illis profuit, quod poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & investigabiles viæ: nec istis obfuisse, quod non poterant credere, si ita prædestinati essent, ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre, &c. Audiunt enim hæc, & faciunt, quibus datum est; non autem faciunt, sive audiant, sive non audiant, quibus non datum est. *Lib. de dono persever. cap. 14.*

A Domino gressus ejus diriguntur, & viam ejus volet. Non dixit: Et viam ejus discet, aut tenebit, aut ambulabit, aut aliquod hujusmodi, quod posset dicere, a Domino quidem dari, sed homini jam volenti, ut sit beneficium Dei, quo gressus hominis dirigit, ut viam ejus discat, teneat, gradiatur, sua homo voluntate præcedat, hoc Dei donum, præcedente sua voluntate, mereatur. Sed ideo dixit, A Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet, ut intelligeremus, ipsam voluntatem bonam, qua incipimus velle credere, (quoniam Dei via quid est, nisi fides recta?) illius esse donum, qui gressus nostros propterea dirigit primitus, ut velimus. Non enim ait Scriptura: a Domino gressus hominis diriguntur, quia viam ejus voluit: sed diriguntur, inquit, & volet. Hic tu rursus for-

tasse dicturus es, hoc fieri a Domino, dum doctrina ejus legitur vel auditur, si homo veritati, quam legit, vel audit, sua consentiat voluntate, &c. Cui si consentit, inquis, quod in ejus libero arbitrio constitutum est, recte utique dicuntur dirigi gressus ejus, ut viam ejus velit, ejus doctrinam, suasionem præcedente, subsequente confessione, seclatur, quod libertate naturali, si vult, facit, pro eo, quod fecerit, præmium, vel supplicium recepturus. Hæc est illa Pelagianorum mala, male diffamata, meritoque reprobara, & ab ipso etiam Pelagio, timente damnari, in Orientalium Episcoporum iudicio damnata sententia, qua dicunt, gratiam Dei non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, atque doctrina. *Epist. 107. nunc 217.*

Sed neque ab illo, quod originaliter contrahitur, neque ab his, quæ unusquisque in vita propria, vel intelligendo, vel nolendo intelligere, mala congregat, &c. quisquam liberatur, & justificatur, nisi gratia Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum, non solum remissione peccatorum, sed prius ipsius inspiratione fidei, & timoris Dei, impartito salubriter orationis affectu, & effectu, donec fanet omnes languores nostros, & redimat de corruptione vitam nostram, & coronet nos in miseratione, & misericordia. Verum ipsi, qui personarum acceptorem existimant Deum, si in una, eademque causa super alios veniat misericordia ejus, super alios vero maneat ira ejus, nempe rotas vires argumentationis humanæ in parvulis perdunt, &c. Quid hic dicturi sunt, qui, ut gratia dari possit, nonnulla præcedere humana merita, contendunt, ne sit personarum acceptor Deus? &c. Sinant, Filium hominis in qualibet ætate querere, & salvum facere, quod perierat, nec de inscrutabilibus iudiciis ejus audeant judicare, cur in una, eidemque causa super alium veniat misericordia ejus, super alium maneat ira ejus. *Epist. 105. nunc 194.*

SUBSCRIPTUM

An ista sit doctrina Sancti Augustini in materia gratiæ.

CLEMENS PAPA VIII.
Pro proxima Congregat.

X I.

EXCERPTUM

Ex Actis Congregationum de Auxiliis. (1)

DE hoc Scripto, quod publicatum fuerat a Clemente VIII. 9. Julii an. 1603, non nisi post ejus mortem, in prima Congregatione, sub Paulo V. habita 20. Septembris anno 1605, disputatum est inter Dominicanos, & Jesuitas.

Basilida, Jesuitarum causam agens, dixit, se prædictum Scriptum communicasse cum omnibus Patribus ex Societate, per diversas Provincias dispersis, cum Hispanis, Italis, Gallis, & ex eorum sententia hæc, quæ sequuntur, dicere, atque proponere: Se nimirum admittere omnia, quæ in prædicto Scripto continentur, esse de mente S. Augustini, id est, esse doctrinam, conformem doctrinæ S. Augustini, sive formalibus, si-

ve æquivalentibus verbis, excepto uno tantum capite quinto: *Hæc gratia habet suam efficaciam ab omnipotentia Dei, & a Domino, quod Summa Divina Majestas habet in voluntates hominum, sicut & in cætera omnia, quæ sub cælo sunt, secundum S. Augustinum; & exceptis, quæ in illo dicuntur.*

Ex adverso autem P. Thomas de Lemos ad propositum dubium ita direxerit, & strictè respondit: Respondeo dicendum: omnia, & singula, quæ in prædicto Scripto felicis recordationis Clementis VIII. continentur, tam in Capitulorum ritualis, quam in inductis ex S. Augustino testimoniis, sunt ipsissima S. Augustini doctrina in materia

(1) Ad caput 8. libri 3. Histor. de Auxiliis.

teria gratiæ. Veritatem hanc ad præsens probare, minus convenit, cum ipsa littera illam aperte demonstraret.

Sed veniam ad illud, quod principaliter Pater proposuit, negando, caput V. continere doctrinam S. Augustini, cum ait, *Gratiam habere efficaciam ex omnipotentia Dei, & ex Domino, quod Omnipotens habet in voluntates hominum, sicut & in cætera, quæ sub cælo sunt.* Quod autem ista sit doctrina S. Augustini, constat ex formalibus verbis. Sic enim primum inductum testimonium habet: *Bonas hominum voluntates, &c. ita esse in Dei potestate, ut eas, quæ voluerit, faciat inclinari.* Ecce ad omnipotentiam Dei reducit in terminis efficaciam gratiæ, convertentis hominum voluntates. Et in secundo testimonio ita dicitur: *Deum occultissimam, & potentissimam medicinæ suæ potestatem, perducere hominis voluntatem, quæ vult.* Ergo apertis verbis dicit, ad omnipotentiam pertinere illam efficacem gratiam. Et in testimonio, tertio loco inducto, ita dicitur: *Sic enim velle, & velle in volentis, & volentis est potestatis; ut Divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Igitur manifestum est, esse formalem, & expressam S. Augustini sententiam, quod gratia habet suam efficaciam, ad convertendum hominum corda, ex Dei omnipotentia, cum ad Dei omnipotentiam recurrat Augustinus, cum de efficaci Dei gratia loquitur.

Sed Patres Reverendi ideo negant, Deum sua omnipotentia efficaciter movere liberum arbitrium, & habere dominium super illud, quia constitunt liberum hominis arbitrium, exemptum a Dominio Dei, ita ut possit illud togare, &

suadere; non autem possit illud immutare, influere, & transferre, (istis enim terminis utitur S. Augustinus) quocumque ipse voluerit. Præterea dicit S. Augustinus de illa efficacissima gratia, de qua in præcedenti capite dictum fuerat, *Quod, ut Paulus tam efficacissima voluntate converteretur, gratia Dei erat sola.* Ecce efficaciam habet vocatio ex sola gratia, ex Deo ipso, & non illam emendicat a libero arbitrio, nec est efficacis dependenter ab illo, ut Patres volunt, Ideo enim negant, efficaciam sumere ex Dei omnipotentia, & eius dominio, quod habet super liberum hominis arbitrium. Non igitur potest negari, quod, secundum S. Augustinum, gratia habeat efficaciam ex Dei omnipotentia, & dominio, quod habet supra liberum hominis arbitrium.

Cum autem ista sit S. Augustini doctrina, & Summus Pontifex dicat, illam esse S. Augustini, mirandum est valde, quod audeat Pater illam damnare. Certe, quomodo ista ab illo dicantur, plane non video.

Quod autem affirmat, doctrinam hujus capitis esse contra Concilium Tridentinum, Sess. 6. cap. 4. & quod constituit, hominum voluntates moveri, ut inanime quoddam, gravius est multo: absit enim, ut ex doctrina, non dico S. Augustini, sed ex doctrina Pontificis Summi, tradita in isto capite, & ordinata, & contradicatur Concilio Tridentino.

His utrinque disputatis, in Congregatione sequenti conclusum est a Consultoribus, eam esse Augustini mentem, quam Clemens VIII. ex multis hujus S. Doctoris locis propofuerat.

X I I.

SCRIPTUM
ILLUSTRIS SIMI
D. PETRI LOMBARDI,

Doctore Theologi in Academia Lovaniensi, Archiepiscopi
Armachani, Primi in Congregationibus
Auxiliorum Consultoris,

D A T U M

SANCTISSIMO PATRI, AC DOMINO

PAULO PAPÆ V.

INITIO PONTIFICATUS.

De Erroribus contra Gratiam, & finiende Controversiæ necessitate. (1)

INTER curas omnes, Romano Pontifici pro Apostolice muneris Principatu incumbentes, cum prima, & maxima sit, qua debet invigilare, ut doctrina fidei Christianæ per universam Christi Ecclesiam in ea conservetur integritate, quam Timotheo suo pro parte sollicitudinis ejus commen-

dat D. Paulus, ita illum admonens: *O Timothee, depositum custodi, devotans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ: Id tui Prædecessores, Beatissime Pater, tum contra errores alios, circa hanc doctrinam temporibus suis emergentes, tum præcipua quadam sedulitate, co-*

(1) Ad Caput 6. libri 4. Histor. auxil.

operantibus etiam aliis Catholicis Episcopis, contra illas præfiterentur opiniones, quibus beneficium gratiæ Dei, qua per Christi meritum ad bene videndum adiuvamur, evacuari, aut quoquo modo extenuari animadvertentur.

Et merito: quippe illarum opinionum contagium ejusmodi esse, noverant doctissimi, Sanctissimique Pontifices, ut præter communem cum reliquis hæresibus pernitiem, quam certo asserit animis, foleat etiam ab eo peculiare imminere illis periculum, qui alioqui in Ecclesia Dei supra alios virtutum laude videntur eminere; quorum proinde vita, uti pluribus prodesse apta, si fundata sit in ea humilitate, *cujus proprietas*, sicut ait D. Prosper, *in confessione est gratiæ Dei, que tota repellitur, nisi tota suscipiatur*; ita si in elationem rapiantur, qua se cum Deo componentes, suarum laudum, atque meritorum partem aliquam, tanquam propriam, sibi vendicent, quanto altius virtutis arcem fe confendisse existimant, tanto gravius & corruptius ipsi, & plures secum prosterantur in ruina.

Cum autem ab annis hæcenus mille circiter, & ducentis sæpius sint extortæ opinionum concertationes circa orthodoxam de gratiæ doctrinam; qui primi eam apertius, & acrius impugnarunt, fuerunt Pelagius, Cælestinus, & his fe associans Julianus; quorum priores duo, Auctores primi notissimæ hæreseos, cujus sectatores, Pelagiani, & Cælestiani pariter ab iis nuncupati, cum essent ambo Monachi, ubi alios decem, & octo Episcopos erroris secum habuit complices, cum esset Rhetor peritissimus, lateque disseminavit Romæ, & alibi, in Italia, in Palæstina, in Africa, in Sicilia; tertius vero Julianus, Episcopus Celanenſis in Campania, ubi alios decem, & octo Episcopos erroris secum habuit complices, cum esset Rhetor peritissimus, & ipse quoque a bonorum operum specie non parum commendatus, eandem hæresim præ cunctis ejus sectatoribus propugnare, & callidissime fategit propagare.

Quare, qui tunc Romani Pontifices erant, Innocentius primus, Zozimus, & Bonifacius, adjuvantibus eos compluribus aliis Episcopis, & diversis Episcoporum Conciliis, doctrinam Ecclesiæ de hoc argumento tam strenue, & sollicite defenderunt, ut, istorum inimicorum gratiæ Dei damnatis erroribus, ipsos etiam, postquam his pertinaciter inhærere deprehensi sunt, a communione fidelium priores duo eiecerunt; tertius insuper sic coercuit, ut contra eos usus fuerit non solum Apostolicis, sed etiam Regiis præfistorum Imperatorum Edictis, in istius hæreseos auctores, & sectatores latis.

Porro Concilia, quæ temporibus illis pro hac causa celebrata fuere, quamplura extiterunt. Primum fuit in Palæstina, Diospoli, habitum, in quo errorum, quos Pelagius coactus fuit anathematizare, duodecim Capitula recenset Sanctus Augustinus; & subjungit duodecim oppositas veritates, quas semper, inquit, tenuit Catholica Ecclesia. Alia Concilia numero quatuor, quantum potest colligi ex eodem Augustino, & aliis, qui eo scripserunt tempore, celebrata sunt in Africa: Unum Provinciæ Carthagenſis, in ipsa civitate Carthagenſi; alterum Provinciæ Numidiæ, in civitate Milevitana; ambo tempore Innocentii Papæ, sicut patet ex Epistolis diversis, quæ etiamnum extant, scriptæ partim ab iisdem Conciliis, & ab aliquibus tunc Episcopis Africa ad Innocentium, partim ab Innocentio ipso, ad hunc vicissim Epistolæ respondente. Reliqua duo Concilia fuerunt magis plenaria, tempore Papæ Zozimi celebrata: in quorum uno ducenti qua-

tuordecim, in alio trecenti Episcopi convenerunt. Extant etiam in Concilio Milevitano octo Capitula, quæ ibidem, & antea in Concilio Carthagenſi contra Pelagianos fuerunt definita; eademque reperuntur in Concilio alio Africano, quod tempore Papæ Bonifacii, Carthagine a ducentis, & septemdecim Episcopis refertur celebratum.

Inter Episcopos vero, qui iisdem Romanis Pontificibus in tam pia causa fuerunt cooperati, spectandus quidem loci eminentiam, præcipue, quod sciat, auctoritatis fuerunt, Aurelius Carthagenſis in Africa, deinde Atticus Constantinopolitanus in Græcia. At ingenium, eruditionem, industriam, librorum copiam estimandos, præfulgebant longe univerſis D. Augustinus, Episcopus Hipponenſis: qui verbis, atque scriptis adversariorum dolos tam dextere detexit, tam valde devicit errores, & defæcassimam, saluberrimamque Evangelicæ, Apostolicæ doctrinæ de gratiæ Dei intelligentiam tam solide, ac sincere explicavit, ut in primis Divus Hieronymus, cum post libros quosdam, contra istam hæresim a se etiam scriptos, quos D. Prosper merito prædicat valde excellentes, vidisset aliquos ex iis, quos edidit Divus Augustinus, admiratus in illo donum Dei singulare ad eam refellendam, superfederit labori contra eandem plura conscribendi. Ac alii deinceps quicumque de hoc argumento recte sentientes, doctrinam, quæ de eo ab eodem explicata est, semper venerati sunt, amplexi, & secuti. Quinimmo eandem esse ab omnibus amplectendam, & sequendam, tanquam Ecclesiæ Romanæ doctrinam, judicium fuit hæcenus ipsius Sedis Apostolicæ. Unde Cælestinus I. *Augustinum*, inquit, *sanctæ recordationis virum, tantæ scientiæ olim fuisse, meminimus, ut inter Magistros optimos a suis sæpè Prædecessoribus haberetur*. Et Hormisdas Papa: *De libero arbitrio, & gratiæ Dei quid Romana, hoc est, Catholica sequatur, & assereret Ecclesiæ, in variis libris B. Augustini, & maxime ad Hilarium, & Prosperum, potest cognosci*. Et Joannes Papa II., generalius loquens, *Sancti Augustini doctrinam*, inquit, *secundum Prædecessorum nostrorum statuta, Romana sequitur, & servat Ecclesiæ*.

Postquam his primis certaminibus prostrata factis videbatur ista hæresis, & cum ipsa condemnati essent auctores ejus, atque assertores primi, & præcipui in tot aliis Orbis partibus; accidit deinde, in Galliis quodque de eodem argumento concertationes novas, & quidem aliquoties, per alios quosdam suscitari; qui licet ab Ecclesiæ se non separarent, immo, quantum ad istam spectat hæresim, Pelagii, & Cælestii detestarentur nomina, & dogma condemnarent verbis, tamen doctrinam, contra eos, eorumque sectatores a Divo Augustino de gratiæ Dei, & Prædestinatione traditam, ausi fuerunt passim reprehendere imperite; quasi in sententia, quam is de hoc argumento, secundum Scripturas Sanctas, defendit, recessisset ab opinione veterum Ecclesiæ Patrum, & in adversariorum consuetudo dogmare necessarium modum excessisset; ineptas aliquas, immo & impias propositiones ostentando, tanquam eæ in illius, & qui eum sunt secuti, libris, quoad sensum saltem, continerentur. Quos proinde excessus, ut viderent ipsi evitare, moderatorem quandam viam, in eodem argumento explicando, eligere sibi præsumperunt: sed in qua revera, quantum recesserunt a doctrina D. Augustini, tantum accesserunt ad Pelagii dogma. Unde, qui viam istam sunt secuti, appellantur merito Reliqui Pelagianorum, & Semipelagiani, quoniam Pelagianismi partem adhuc in sensu retinent, in qua damnatam pridem hæ-

refim

refim conabantur, quantum ad hoc argumentum, denovo suscitare.

Coepit erigere in Massiliensi urbe, & aliis etiam locis in Gallia, sicut patet ex duabus Epistolis, quas ad Sanctum hunc, & senem tunc, Episcopum Prosperum, & Hilarius scripserunt; in quibus recensent ordinate istorum opiniones, ipsosque sic describunt, ut narret D. Prosper, fuisse claros, & egregios in omni virtutum studio viros, quorum apud simplices quoque tam magna fuit de probitatis contemplatione reverentia, ut hoc tutissimum sibi æstimarent, quod audirent eos, quorum auctoritatem sine judicio sequebantur, asserere. Ad quas Epistolæ respondens D. Augustinus, rescripsit ad Prosperum, & Hilarium duos libros, unum de Prædestinatione Sanctorum, alterum de dono Perseverantiæ inscriptum: in quibus licet novas istas, seu renovatas potius opiniones, solidissime, & sincerissime refellat; tamen tantum abfuit, quod per eos corrigerentur ejusmodi novatores, ut potius inde occasionem sumperint in præconceptis opinionibus obstinatius firmandi animos, & doctrinam D. Augustini infestius, quam antea, reprehendendi, & calumniandi.

Quapropter, cum, eodem Augustino jam defuncto, viderent Prosperum, & Hilarium, quod Episcopi Galliarum ad ista conviverent, & tacerent; pro remedio tantis malis adferendo, contulerunt se ad Sedem Apostolicam, in qua tunc præsedebat Cælestinus primus: qui querelis eorum benigne susceptis, quali zelo in negotiis aliis se gessit contra ipsos Pelagianos, tali succurrit Galliæ, ne ulterius ibi serperent illorum reliquiæ. Ejus in Pelagianos zelus antea enituerat, quod Cælestinum, a Prædecessoribus suis ante condemnatum, & adhuc, quasi non discussio negotio, audientiam postulante, totius Italiæ finibus jusserit extrudi; quod ejus cura, per sanctos Episcopos Germanum, & Lupum, a Pelagianio morbo Britannia sit liberata; quod auctoritate ejus, per B. Cyrilum, Alexandrinæ urbis Antistitem, in Concilio Ephesino, errores Pelagiani, cum cognatis sibi Nestorianis, iterum sint prostrati. Itaque & ad Episcopos Galliarum gravissimam direxit Epistolam, in D. Augustini, & doctrinæ ejus defensionem, & commendationem, adjunctis certis Capitulis, sive Regulis, quibus ex Sanctionibus præcedentium Romanorum Præfulum, Innocentii, & Zozimi, & sententiis Africanorum Conciliorum contra hæresim Pelagianam, compendiose digeritur, quid contra reliquias ejusdem hæreseos de gratiæ Dei sit tenendum.

Cælestino successit Sixtus III., & Sixto Leo Magnus. Ex quibus Sixtus, cum ejus tempore Julianus Pelagianus, correctionis speciem fallaciter præferens, molitus esset in Ecclesiæ Communionem irrepere; his ejus insidiis vigilanter occurrens, hortatu maxime Leonis, tunc adhuc Diaconi, nullum aditum patere ei permisit: & ita omnes Catholicos de refectione ejus gaudere fecit, quasi tunc primum istam hæresim Apostolicus gladius detruccasset. Sub eodem etiam Pontifice, cum Semipelagiani in Galliis, non obstante Epistola, a Cælestino prius eo missa, novas ex ea ipsi quaesitis occasionebus, pro opinionibus suis animosius decertarent; Prosper quidem in libro, quem contra Collatorem de hoc argumento scripsit, hanc partem gloriæ Pastori huic exoptat, & ad eam ex Epistola, quam ad ipsum, adhuc Presbyterum, scripsit Augustinus, suppliciter exhortatur, ut sicut Prædecessores ejus, Innocentius, Zozimus, Bonifacius, Cælestinus, lupos abegere manifestos, ita Sixtus depellat (inquit) occultos. Id vero volens profequi

Sanctus Leo, postquam esset factus Pontifex, ad coercendam istorum impudentiam, & imperitiam, alia plura, & magis particularia Capitula, seu Canones, ex D. Augustini libris, pleraque etiam verbatim collecta submisit ad Galliarum Episcopos, quæ illi, Araucica congregati, ad Concilium publicarunt, & suis firmanit subscriptio-

nibus. His etiam Pontificibus cum alii plures Episcopi, & viri, eruditione, atque zelo clari, in hac causa cooperarentur, præcipuus, sollicitando, ac scribendo, extitit D. Prosper, doctrinæ, & industria D. Augustini contra Pelagianos insignis imitator adversus Semipelagianos: in quo tam pio negotio, opera ejus Sedi Apostolicæ adeo fuit probata, ut in primis Cælestinus Papa, de ipso loquens, & Hilario, *Fili*, inquit, *nostri presentes, Prosper, & Hilarius, quorum circa Deum nostrum sollicitudo laudanda est*. Et postea Gelasius I. Papa in Concilio Romano, inter Opuscula sanctorum Patrum, quæ in Ecclesia Catholica recipiuntur, Opuscula ejus recensendo, hoc peculiariter epitheto eum honorat, ut Virum vocet religiosissimum. In quibus sane opusculis doctrinam D. Augustini ita est secutus, ut eorum pleraque, & præcipua sint, veluti commentaria, & apologiæ, in quibus ex omnibus, quæ copiosius, atque sparsius contra Pelagianam hæresim disputavit Augustinus, ea pressius stringuntur, atque adstringuntur, quæ spectant proprie ad profectandum argumentum de gratiæ, & Prædestinatione, quantum exigebat disputatio, per Semipelagianos de eo renovata.

Inter hæc fuerunt aliqui, tam superstiti adhuc Augustino, quam post ejus obitum, qui, licet pio affectu bonæ voluntatis, doctrinam, de argumento hoc ab eo traditam, id est, Catholicam, se sequi profiterentur, & studeret assidue, tamen iudicio adeo erant tardi, ut eorum captum, & eloquium nonnulla superarent, quæ pro eisdem argumenti sublimitate is in suis libris scripserat: ideo non valentes horum sensum verum comprehendere, & exprimere, vel subliterunt, vel simpliciter erraverunt, affingentes eis sensum falsum, vel verbis ea absurdis, seu duris nimium protulerunt; & hoc præcipue, quando de Prædestinatione agebatur. De quibus proinde admoniti, & consulti, primum ipse D. Augustinus, & postea D. Prosper, etiam pro istorum instructione, & correctione, Tractatus novos conscripserunt; quibus de ejusmodi difficultatibus quid esset sentiendum, & loquendum, sive non loquendum, modo, quantum fieri poterat, dilucidius explicarunt.

Ex his autem, qui doctrinam D. Augustini opponentes se, aliam, ut dictum est, de hoc argumento sunt secuti, cum nonnulli essent Presbyteri, aliqui etiam Episcopi, qui noti sunt pro doctrina sua, subscripsisse, primum fuit Joannes Cassianus, natione Scytha, qui Constantinopoli a B. Joanne Chryostomo Diacono ordinatus, postea Massiliæ fuit Presbyter. Secundus Vincentius natione Gallus, etiam Presbyter, quem arbitratur aliqui fuisse Lirinenſem illum, cujus extat Opusculum adversus profanas hæresim novitates. Tertius, tempore his posterior, sed superior dignitate, Faustus, ex Abbate etiam Lirinenſi, post Prosperum, Episcopus Rhegiensis. Et hi quanto sanctiores habiti, & doctiores, tanto magis scire modo expedit, quod obnoxii fuerint erroris hujus novo; & quod, non obstante illa sanctitate, & eruditione, errores eorum alii, rectius sentientes, impugnaverint, & Sedes ipsa Apostolica reproboverit.

De Cassiano quidem certum est, quod in Ope-

re

re suarum Collationum, in quibus alioqui multa continentur utilia documenta, unam inscribat de Protectione Dei, in qua, sub nomine Abbatis Chæremonis, de gratia, & libero Arbitrio sententia explicatur, & approbatur, opposita doctrina; de his a D. Augustino contra Pelagianos tradita, & defensa: quam proinde Collationem refellens B. Prosper, contra auctorem istum scripsit, non proprio, sed Collatoris, expresso nomine.

Quod vero ad Vincentiam attinet, illius, quem dixi Lirinensem, sunt, qui arbitrantur, esse Objectiones adversus doctrinam D. Augustini, contra quas scripsit D. Prosper, Vincentianas ipsas vocans. Et in illo ipso contra hæreses libello, alioqui valde insigni, videri poterit idem Vincentius, offensore fuisse animo in defensores D. Augustini, quando sollicitudinem Prosperi, & Hilarii, quam Cælestinus Papa adeo commendavit, interpretatur criminationem, apud eundem Pontificem, urbium, & Provinciarum Gallia: Qua interpretatio, qui id non satis forte observant hæcenus, advertere possunt, an non eodem spiritu profecta sit, quo Gennadius, Massiliensis Presbyter, notissimus Semipelagianorum fautor, de eodem censuit Prosperi, quod *Opuscula Cassiani, quæ (inquit) Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nocens.*

Porro Fautus, callidior usus stratagemate, tanquam agens contra illos, qui doctrinam D. Augustini non intelligentes, in absurdas quasdam opiniones de Prædestinatione, & gratia sunt prolapsi, duos scripsit libros de gratia Dei, & humane mentis libero arbitrio, in quibus revera doctrinam D. Augustini, tacito ejus nomine, oppugnat, atque reprobat. Qui libri, cum olim nonnullos etiam Episcopos, sed simplices illos, quam doctiores, in Galliis, in Græcia, in Africa seduxissent; alii eruditiores ex omnibus istis Provinciis, detecta tandem fraude, contra libros illos scripserunt. Inter quos præcipuus B. Fulgentius, Episcopus Ruspensis in Africa, qui, ut refert Ildorus, scripsit de gratia Dei, & libero arbitrio, Libros Responsonum septem, in quibus Fausto, Rhegiensis in Gallia urbis Episcopo, prævitati Pelagianæ consentienti, respondens, *Obmittitur, inquit, ejus profundam destruere calliditatem.* Qui septem Libri, quamvis interea intercederint, exstant tamen diversa alia Opuscula ejusdem auctoris, in quibus secutus D. Augustinum, & B. Prosperum, doctrinam orthodoxam de Prædestinatione, & gratia solide, & sincere explicat.

Sed & his temporibus, postquam libri isti Fausti e tenebris denuo eruti sunt, industria Erasmi Roterodami, similiter imposuerunt quibusdam viris doctis, qui arbitrantur, sub titulo specioso siaceram doctrinam contineri, eam sunt amplexi, & interpretati, tanquam conformem ei, quam de eodem argumento D. Augustinus tradidit. Et quia impostura ista etiamnum serpit, sunt, qui censent, censuram, contra istos libros ab Apostolica Sede olim factam, (de qua paulo infra) valde expedit, denuo renovari: quandoquidem certum sit, ipsos eosdem esse, qui, sicut dictum est, e tenebris eruti, in manibus nunc habebuntur, & qui olim a Scripatoribus orthodoxis refutati. Cujus rei argumentum sit ad oculum; quod, cum Joannes Maxentius, unus ex antiquis illis impugnatoribus, diversas sententias ex eo transcribat, quibus contrariam ostendit doctrinam D. Augustini, eæ, sicut ab illo tunc transcriptæ, sic & nunc in istis libris reperiantur.

Post Leonem Magnum, qui in Pontificatu successit quarto loco, Gelasius Papa I. tam vigilans

fuit, & sedulus in ista præveniendis, & extinguendis erroribus; ut in primis, cum ei nuntiatum esset, in Regionibus Dalmatarum quosdam recidiva Pelagianæ pestis initia feminasse, tametsi de hoc nondum accepta notitia certior, quam quæ per nuntium spergebat; considerans nihilominus, quod error iste nefarius, ut inquit, sit tanto perniciosior ad subreptum, quanto ad fallendum verisimilitudinis color verusior; ad occurrendum isti malo, Epistolam eo direxit ad Honorium Episcopum; ubi cum inter alia referat, hæresim istam per suos Prædecesores, Innocentium, Zozimum, Bonifacium, Cælestinum, Sixtum, Leonem, continuis sententiis fuisse prostratam; sectatores ejus non tantum Ecclesie Catholice legibus, sed Principum quoque Romanorum fuisse damnatos, subjicit notabilem hanc sententiam: *Si studeant, adversus eos Majorum nostrorum libros, resposaque cognoscere, illis modis omnibus coneretur, nihil esse profuturum, quod ab istis fuerit ventilatum, & non ab illis magnifica veritate contritum.* Deinde, cum intellexeret, in Provinciis Piceis ejusdem hæreses errores subrepere, ex seque, & dissimulatione sacerdotum, alias eo direxit Epistolam, quibus præcipua ejus capita erudite refutat. Denique in Concilio Romano, dum Opuscula ea recenseret, quæ, inquit, in Catholicis vitanda sunt, & idcirco Apocrypha ipse vocat, de duobus illis in Gallia Scripturis, qui, ut dictum est, de gratia, & libero arbitrio opiniones, a doctrina D. Augustini discrepantes, sunt secuti, Censuram hanc expresse, & districte subjicit: *Opuscula Cassiani, Galliarum Presbyteri, Apocrypha: Opuscula Fausti Rhegiensis, Galliarum Episcopi, Apocrypha.*

Qui Gelasio successit tertio loco Hormisdas Papa, & Judicium ejus de libris Fausti est secutus, & Epistolam Cælestini, in defensionem D. Augustini, ejusque doctrine, sic amplexus, & interpretatus, ut cum Semipelagiani laudationem, in ea collatam in D. Augustinum, ad anteriores ejus libros duntaxat referret, referri autem nollet ad posteriores, in quibus ipsorum errores expressius refutantur, sic ille exponat: *Quid de libero arbitrio, & gratia Dei Romana sequitur, & servat Ecclesia, ex libris Augustini esse cognoscendum;* ut expresse addat, id maxime intelligendum de libris ejus ad Hilarium, & Prosperum, qui sunt postremi, quos de hoc argumento contra Semipelagianos ex professo scripsit. Subjungit etiam, de hoc argumento Romæ in scriniis Ecclesiasticis Capitula contineri; quæ sunt illa indubie, quæ eidem Epistolæ sunt adjuncta, & forte etiam quæ a D. Leone ad Concilium Arausianum destinata.

Interjectis multis annis, Joannes Papa IV., anteriores tot Pontifices providentia simili imitatus, cum agnosceret, quod in Hibernia apud Scotos Pelagianæ hæresis virus denuo revivisceret, litteras eis, magna auctoritate, atque eruditione plenas, direxit, sicut recenset Venerabilis Beda, qui in fragmento, quod ex his transcripsit, quædam refert verba, quibus declarans idem Pontifex continuam Ecclesie Romanæ sollicitudinem, Episcopos, Presbyteros, Doctores, & Abbates in extremis illis terræ finibus, ut Beda loquitur, ad quos ex directæ sunt, hoc modo assatur: „Nam, „qualiter ipsa quoque execranda hæresis damna- „ta est, latere vos non debet; quia non solum „per istos ducentos annos abolita est, sed „quotidie a nobis perpetuo Anathemate sepulta „damnatur: & hortamur, ne quorum arma „combusta sunt, apud vos eorum cineres susci- „tentur.

Post alios adhuc plures annos, qui apud urbem

dem Valentinam in Galliis ad Concilium collecti erant Episcopi, etiam contra Scotos, similiter errantes, id ipsum de gratia, & libero arbitrio constantissime, & fide plena, professi sunt: *Quod, inquit, Sanctissimi Patres auctoritate Scripturarum tenendum reliquerunt; quod Africana, quod Arausiana Synodus professa est, quod Beatissimi Pontificis Apostolicæ Sedis Catholice fide tenentur.*

Unde, ut propius ad nostra descendam tempora, quæ quanto propinquiora fini mundi, tanto errorum abundantiora fore, prædicantur in Scripturis Sacris; ex quo vir doctissimus, Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis, Magister sententiarum dictus, Theologus ex sententiis Patrum, & præcipue D. Augustini redegit in methodicam summam, Qui interea illum interpretati fuerunt, diversorum Ordinum Religiosorum, quamvis & ipsi passim profiterentur, & propositum habere viderentur D. Augustinum sequi, tamen, cum securiores ab externo hoste, liberius quæstiones multas intrinsicis disputarent; accidit re vera, ut aliqui ex his, circa argumentum, de quo agitur, comminiscerentur opiniones quasdam, adversas satis doctrinæ de eo ab Augustino contra Pelagianos, & Semipelagianos traditæ, & explicatæ. Quæ opiniones, licet ab Ecclesia nunquam approbatæ, immo & ab aliis Scholasticis, de istis rebus melius sentientibus, aut rejectæ, aut non receptæ; at tamen qui posterioribus his temporibus a Sedis Apostolicæ obedientia apostatarunt, tot sectarum assertores, & sequaces, sumpturunt inde occasionem usque adeo calumniandi, ut & opiniones istas supra id, quod vere suberant, nihilium exaggerarint, & sic a exaggeratas Catholicis omnibus imposuerint, tanquam Romana Ecclesia, severiore deserta doctrina de gratia, & libero arbitrio, prolapsa esset ad Pelagianismum, & qui se Catholicos profiterentur (Papistas illi vocant) degenerassent in Pelagianos.

A quibus propterea dum videri volunt iidem sectarii iustam habuisse occasionem, quantum ad hanc doctrinam partem, se jungendi se, & dissentendi, aliam ipsi sunt secuti: non illam certe doctrinam orthodoxam, quæ olim contra Pelagianos a Pontificibus, & Conciliis definita est, ac defensa a D. Augustino, ac secutus aliis Catholicis Doctoribus: quin potius, quod contra Petrum Lombardum, & Theologos scholasticos videbantur ex professo suscepisse, bellum, id etiam converterunt contra hujusmodi definitiones, ac Patrum sententias. Et quod ad ipsum spectat Augustinum, quamvis illam, tanquam solum, ut dicunt, ex veteribus fecum consentientem, aliquo loco habere videantur; tamen re vera doctrinam ejus plerumque non intelligere se, ostendunt, immo & corrumpere deprehenduntur, aliquando quoad sensum, nonnumquam quantum ad verba. Fingunt vero, gratiam Dei sic prædicandam, & credendam, ut (quod iusto Dei judicio eis accidit) velut in infaniam rapti, Manichæorum non minorem, teneant, atque tradant, liberum arbitrium in hominibus vel existitum profus, vel naturali sua proprietate spoliatum: ignorantes, se hoc dogmate auferre quoque energiam, & effectus, quos veræ Dei gratiæ Scriptura Sacra passim tribuit.

Quapropter Concilium Generale Tridentinum (ut Provincialia omittam, Senonense, & Moguntinum) dum contra istos agit, sic liberi arbitrii naturalem asserit proprietatem, ut agnoscat, atque renovet, quod de virum ejus per peccatum attenuatione, & inclinatione antiquitus definitum est: sic astruit ejusdem cooperationem, &

Sery Tom. II.

sequelam, ut quod de gratia præoperantis, ideè prævenientis, ipsum adjuvando, & excitando, necessitate, & efficacitate, (1) juxta Sacras Scripturas, & antiquas Ecclesie definitiones prædicandum, & credendum, denuo definit, ac declarat: ob id nimirum, quia non satis illi visum, istorum Sectariorum errores condemnare, nisi etiam ab eorum calumniis Ecclesiam præsentem vindicaret.

Cæterum ex Doctoribus Catholicis, qui Sectarios istos oppugnant, de iisdem argumentis prolixiores instituerunt disputationes, aliqui in iis liberi arbitrii vires adeo extulerunt, ut aliis vix sint Christianæ gratiæ necessitates, & efficacitatem nimium extenuare; atque ita, dum errores vellent eliminare Lutheranorum, & Calvinistarum, alias introducere opiniones, quibus sternere-tur via ad toties expugnatum Pelagianismum, seu Semipelagianismum, sub finem sæculorum postliminio suscitandum. Indeque sunt exorta dissensionem, quæ una cum iisdem opinionibus dicitur, quam a plerisque videtur animadversum, intra Ecclesie gremium fore sunt.

Neque negari potest, quin subnitentiis saltem a quibusdam, qui in istas impegunt opiniones, siue defendendo, siue confutando, vel ignorando aliquosque, vel non sufficienter observatum fuerit, quid de rebus, quas tractabant, antiquis in Ecclesia edoctum, defensum, atque definitum, id, quod excusationem forte habuit. Et quidem utriusque dissentientium partis, tanto majore, quanto meliore zelo una ex his intentata fuit tota ad præsentium errorum incendium extinguendum; altera magis provida, ne alii in futurum suscitarentur, seu succenderentur, recedendo altius ex antecessis hæcenus Ecclesie Dei decursibus, quod, quandoquidem se res ita habeat, ut, quamdiu hæc in terris militat, oporteat, sicut prædixit D. Paulus, & hæreses esse, cum hæreses unius interitu oriri fere soleat ejus contraria.

Progressu autem annorum aliquot, eadem opiniones apterius, & periculosius proruperunt in disceptationem, multum controversam, quam vix ipse in Belgio urgeri fatuus acriter, & novimus omnes, diutius, & ardentius gliscere in Hispaniis: Quæ tamen, ut alias, quantum observare potui, a turbis illis, quas in tot aliis Provinciis Christianis quæstiones de hoc argumento sæpius concitarunt, magno Dei beneficio immunes semper conservatæ; & ad eas modo præservandas, interest quam plurimum totius Christiani Orbis, ut qui Dei in terris vices gerunt, sollicita provideant cura.

Qualem proinde adhibens Prædecessor nuper Vestræ Sanctitatis, Clemens felicis recordationis Papa VIII., controversiam hanc, ut cum majori auctoritate decideretur, ex Hispaniis evocavit ad Sedem Apostolicam, & pro ea decidenda, per annos aliquot, tametsi ætate plurima fractus, aggravatus multis morbis, & negotiis aliis pene obrutus, instanter laboravit. Sed, dum in laboribus ejus dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam, optimæ voluntatis Pontifex (quod judicio Dei accidit) finivit antea vitam suam, quam de eadem controversia definire quidquam posset.

Quæ tamen ne sic hæreat indecisa, prospiciens Collegium Illustrissimum, ac Reverendissimum Cardinalium, (quod non possit Ecclesie Dei non esse multum noxium) vacante per ejus obitum Sede Apostolica, prudenter ordinavit, ut futurus Pontifex pro ea fatigaretur quam primum diceret.

H h ri.

rimenda. Id, quod exsequi Successor proximus, Leo Papa XI. declaravit quidem inter primas curas, sicut esse debuit, commendatum: sed is, tanquam unda maris in terras projecta, recessit ante ea hac vita, quam in Pontificatus sui labores possit ingredi.

His autem quod videmus modo Te succedere, Pater Beatissime, Pontifex Maxime, de quo & gaudemus sane, supra quam possumus vel exprimere verbis, vel cogitatione ipsa satis comprehendere, spem facit maximam, id ab aeterno Deo inter alia plurima, quae ad Ecclesiae suae praesidium per te operaturus est, etiam ad hoc destinatum, ut qui haecenus Clementi Pontifici, in examinanda ista controversia Praesidentis, cum aliis Illustrissimis, & Reverendissimis Cardinalibus, S. R. E. Inquisitoribus Generalibus, sollicitè assedisti, eam ipse factus Pontifex feliciter definias. Ad quod tam suaviter invitatus es in ipsa tui ad Pontificatum assumptione, qua tunc manifesto opere demonstratum est, quam habet Deus potestatem voluntates hominum (quod hic praecipue controversitur) quo vult, quando vult, quomodo vult, quamdiu vult, inclinandi, insectandi, transferendi & dudum ad id ipsum subsidiis omnibus praeparatus, (id ita providente Deo) quibus, quod Clemens Papa laboriose feminavit, Successor ejus fructuose colligas.

Quapropter praesumere ego nolo sententiam, quam per os tuum de controversia hac pronunciatum Sanctus Dei Spiritus, preveniendo, Censuram ferre praesentiarum: an opiniones illae, de quibus controversitur, ex radice Pelagianismi, seu Semipelagianismi fibra reipsa prodeant, quibuscumque colorentur verbis; vel prodita sive per calumniam traducantur, sive praesentantur ex imperia aliqua: & hoc vel sensum, quibus concipiuntur, vel verborum, quibus aut ex exprimuntur, aut sententia orthodoxae de hisdem rebus, ut praetenditur, exprimenda; sive denique pro cautela tantum, ex ejusmodi fibra, seu radice prodire, timentur.

Verum, quia superioribus diebus, vivente adhuc Leone Papa, dignabaris mihi indicare, gratum fore, si rationes aliquot in ordinem redigerem, quibus potissimum ostendatur, quam magis sit momenti, ut controversia, de his mota, quam primum dirimatur, prout Illustrissimi, ac Reverendissimi Cardinales ordinaverunt; ego quidem ejusmodi rationes festinus digessi, tamen eas ob inavetudinem, qua correptus fui subito, non potuerim tunc proferre; sic etiam providente Deo, ut, quod Cardinalis imperasti, Pontifici tibi offeram; Cui proinde ut eadem sint majori usui, interea mihi visum praemittere illa, quae jam recensui, de praecedentium haecenus Pontificum vigilantia, & sollicita cura in remediis adhibendis, quoties de argumento hoc suspectas quoquo modo quaestiones fuscitari intellexerant.

Subjungam autem modo rationes petitas ex rebus, de quibus adeo controversitur; ex quaestionibus, quae cum controversia hac necluntur; ex personis, inter quas praecipue jam versatur; ex damno, quod ex eadem in universam diffunditur Ecclesiam; ex lucro demum, quod Sectariis inde provenit. Ex quibus, ut existimo, evadent manifestum, momenti esse maximi, ut eadem controversia sine diuturniore mora definatur, idque tam plena, & expressa veritatis declaratione, quam requirunt quaestiones, quae in ea ultro, citroque disceptantur. Suggestam deinde considerationes quasdam de modo, quo videri possit definitio ista fa-

cienda, & pro declaranda rerum veritate, & pro partium, quae de hac disceptant, quantum fieri potest, honore conservando.

Et in primis spectando res, de quibus controversia ista mota est, pertinent illae ad Catholicam fidem, etiam ex professione, quam partes ipsae, de iis dissidentes, in libris suis, & scriptis passim faciunt: adeo ut utraque sentiat, doceat, scribat, dogma, quod ipsa sequitur, ab omnibus certissime credendam; una obiciat alteri, non posse sententiam illius sustineri, salva fide, quae contra Pelagianos, & Semipelagianos est definita; altera vicissim opponat, non posse istius teneri sententiam, salva fide, quae defendenda est contra Lutheranos, & Calvinistas. Quod si aliqui, ut periculum vitent hujus praesudicii (ne, si forte deprehendantur in errore, contra fidem errare convincantur) malint modo dicere, quaestiones hic motas esse praeter fidem; scire illi debent, quod an ejusmodi vere sint, pertinet declarare ad Tribunal fidei, in quo de controversia hac tractatur. Qui autem proprio interim judicio eligunt ita dicere, advertant in primis, ne suspicionem inde incurant apud illos, qui noverunt, id esse suffugium, ad quod olim recurrerebant Caesarius, & Julianus Pelagianus, dum in quaestione quadam a Catholicis premi se, viderent; & quod universae suae doctrinae praeterebant Semipelagianum. (1) Deinde cavere debent, ne, id dicendo, non tam diminuunt, quam aggravent potius errandi gradum, ad sententiam in fide erroneam addendo errorem, quo dicatur, esse praeter fidem. Nempe si, quod olim observatum fuit, caput quaestionum contra Pelagianos, & Semipelagianos, de origine in hominibus bonarum voluntatum (ut de aliis quaestionibus nihil dicatur hic) id ipsum sit, ut apparet esse, de quo praecipua quaestio in hac controversia agit; tamen cum discrimine, quod non distinguat quaestionem praeter fidem, a quaestione, quae de fide est; quia quod tunc Sacrae Scripturarum vere verbis, & positivo SS. Patrum modo tractabatur, id nunc agitur Philosophicis terminis, & Scholastica methodo.

Secundo quaestiones, quae connexae sunt cum hac controversia, adeo sunt diffuse per totum corpus Sacrae Theologiae, ut quantum, & quamdiu alterius partis ejusdem controversiae (quaeumque illa sit, quae sanior est) veritas in suo gradu doceri prohibetur, aut libertas utriusque partis in Scholis permittitur, tantum, & tandiu Theologi Professores, nominatim in Hispaniis, quo ejusmodi prohibitio, & promissio praetenditur emanasse, impediuntur a daanda suis auditoribus satisfactioe integra in tot aliis materiis Theologicis, per quas diffunduntur istae quaestiones: quales sunt de scientia, de voluntate, & etiam de potentia Dei, de providentia, praedestinatione, gratia, perseverantia, de fide, spe, charitate, & aliis veris virtutibus, de libero arbitrio, merito, & demerito, seu peccato, & praecipue de originali, de lege, prohibitione, pracepto, premio, pena, de poenitentia, & toto Justificationis negotio. Unde quae est necessitas, ut controversia hac quam primum decidatur, eadem etiam non pariter, ut decisio ejus tandiu differatur, quam illi volunt, qui hanc referendam putant ad Concilium propter eam congregandum; quomodo neque differendam esse, Ecclesiastica probat consuetudo. Id, quod inferius ostendetur ex judicio D. Augustini in causa, quae de argumento hoc, ejus tempore, tractabatur.

Tertio, considerando personas eorum, inter quas

quas praecipue controversia hac versatur, sunt illi, ut notum est, Viri Religiosi, & duobus in Ecclesia Dei doctissimis, sanctissimis, & celeberrimis Ordinibus. Qui proinde cum ex instituto suo falterre, & lux mundi debent esse, certum est, quod ad officia ista illuminandi, & condendi exhibenda, ante omnia necesse sit, ut inter ipsos vigeant, in his praesertim, quae ad doctrinam fidei spectant, concordia, unanimitas, pax, & charitas. Verum virtutes has tam necessarias, timendum in primis, ne languere plurimum faciant contrariae affectiones, quae, pro ipsa conditione controversiae adeo gravis, inter utrosque succedere possunt, ut sunt dissensiones, similitates, lites, & hujusmodi alia odiorum semina. Deinde, ne & has tam pravas affectiones magis, magisque in dies corroborent subintrantes in suscepta semel causa opinio constantiae, & defensio famae, & honoris: quibus si fomitem subministrat praesumptio, & arrogantia de proprio Ordine, & ejus Doctoribus, invidia, & livor de aliorum bonis studiis, & progressibus, incurabilius multo malum reddunt. Super omnia autem timendum, & tremendum inter hac Judicium Dei; ne felicit, si qui forte ab initio in controversiam hanc vel paulo ignorantius, vel indiscretius tantum sunt ingressi, adhuc permittantur progredi ex istiusmodi momentis rationum, quales modo indicavi, Deus, qui per id offenditur, merito patiarur, eos sic probati, ut offensam veritatem vel cognoscere non valeant, vel non velint. Unde licet adhuc, qui in causa hac tam multum dissentunt, utrinque profiteantur, se Sedis Apostolicae futuram de ea decisionem reverenter, & humiliter amplexuros; id, quod facilius multo remedium omnis mali modo reddidit; tamen dilatio nimia evenire potest, ut, quod tandiu sub tegumentis jam descriptis est confortum, id usquam tandem (liceat hic uti verbis Isaiae) erumpat, in regulum. (1)

Quarto, interea in universam Christi Ecclesiam ex eadem controversia damnum sic diffunditur, ut & multi sint utrinque, qui istam partium studia se sequi, praecipiti nimis zelo profitentur, & inter eos (quippe cum sint multiplicati etiam usque ad idiotas, & foeminas) plerique earumdem partium dissensiones magis emulantes, quam certe intelligentes opiniones. Unde passim iis, qui tenerioris conscientiae sunt, nascuntur scandala; iis, qui laxiores, contemptus doctrinae Religiosae; inter Doctores qui magis pii, ac modesti sunt, moror, atque gemitus, etiam illis filere integrum sit. Sin autem pro officio, in quo constituti sunt, sententiam suam, censuramque proferre debent, accrescit insuper offensam partium, a quibus forte pro conscientia sua dissentunt; quasi non liceat ipsis, inter homines, & opiniones sic distinguere, ut illos sincere ament, & honorent, & tamen istis neque velint, neque possint se servos exhibere; his vero, qui se quoque doctos profitentes, audaciores vere sunt, quam solidiores, licentia nimia de quaestionibus ita controversis docendi, & scribendi. Cujus rei exemplum unum sit cujusdam Professoris (2) Patavini Opus, de controversia hac componenda, Patavii excusum anno 1603. quod licet huc allatum, & ex sententia Officii S. Inquisitionis ad ignem condemnatum, non tamen id tam cito factum, quin, ut audio, complura ejus exemplaria Francofurtum pervenerint, quae ab haereticis avidissime compta sunt. Alterum, Doctoris cujusdam in Germania, qui in Opere quodam, quod de mortis Christi efficacia scripsit, & eodem an-

Serry Tom. II.

no Coloniae excudi fecit, cum multa immisceat, ad controversiam istam spectantia, in quibus sequitur Faultum illum, de quo supra, Episcopum Rhegensem, veritas, ne in hoc offendere videatur in Censuram Gelasii Pontificis de Oportulis Faulti, hanc de eo fingit fabulam, (in qua non advertit, se errare insuper in temporibus notandis) quod videlicet, cum Pelagiana labe infectus esset, a B. Fulgentio correptus, & emendatus, errore deserto, ad Catholicam Ecclesiam gremium se recepit; in cuius rei argumentum, egregium volumen scriptum de gratia, & libero arbitrio, teste (inquit) Gennadio in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, in quo erronea dogmata revocavit, & emendavit. Nec, quod sic inceptum est, cacoethes scribendi libros de eadem controversia cessabit facile, nisi a Sede Apostolica per temperatam decisionem remedium adferatur.

Quinto, ac postremo, Sectariis, qui sunt extra Ecclesiam, & contrario ex ea, quando pendet indecisa, lucrum magnum videtur provenire, sed quod etiam cedit in ipsorum majus malum: quale est in primis communis inter eos gaudii, quo exultant, quia quod Catholici haecenus obicere iis solent, tanquam argumentum non fundatae Religionis, eorum inter se in praecipuis doctrinae capitibus dissensionem; id ipsi nunc vicissim, & occasione hujus controversiae, putant, se posse in nos regerere, quod similiter in multis, atque magnis dissentiamus fidei quaestionibus. Praeterea aliqui ex his audent impropere, quod tandiu haereat in ejusdem tractatione, quasi in hoc saeculorum fine, ad eam definiendam in Ecclesia Romana, perierit lex a Sacerdote, consilium a Sapiente, & sermo a Propheta. Alii suspicari se cōtingunt, quod, quia diuturniore hac, & diligentiore tractatione, melius innotuit Sedi Apostolicae doctrina verior de hoc argumento, idcirco, ne ab alia, quam haecenus est professi, recedere videatur, ad decisionem illam venire tergiversetur. Nonnulli praesumptum gloriari, quod, quoniam res non potest in litigio hoc permanere semper, futurum tandem, ut Sedes Apostolica ipsorum de ea doctrinam, tanquam veriore, amplectatur. Ex quo sane capite scriptum est ad me ex Belgio, quod primarius Professor Theologus in Hollandiae haeretica Universitate, quae Leyda, seu Lugdunum Batavorum dicitur, auditores ad constantiam in doctrina sua non ita pridem hortabatur. Unde apparet, quam magnum etiam impedimentum ad bonum conversionis suae, & salutis eadem controversia Sectariis afferat, cum omnibus generatim, ob has omnes rationes, tum speciatim nostris Insularibus, & praecipue Anglicis, ob aliam insuper propriam sibi rationem. Nam cum post pacem initam inter Reges Hispaniarum, & Britanniarum, restituantur cum his commercia, & communicatio familiaris interveniat in Hispaniae Regnis; immo & plures ex iis, quam haecenus, adventant in Italiam, ex quibus nonnulli saltem vel ab errore converti, vel in Catholica fide confirmari possent; quando audiunt, atque vident, quod inter Religiosos diversorum Ordinum apud nos non minus disceptetur, & dissentiat, ut videtur ipsis, quam inter suos Protestantes, atque Puritanos, facile nilium persuadebant sibi, Religionem nostram non nisi solidioribus, quam suam, fundamentis.

Quod jam ad considerationes spectat de modo, quo controversia hujus definitio faciendae est, in primis quorundam audiuntur voces, qui, mediatores se inter partes constituendo, non alio modo debere eam definiti putant, quam ut, ulterius

H h 2 tra

(1) August. lib. 2. de pec. Orig. cap. 4. & 23. Lib. 1. cont. Julian. cap. 6.

(1) Isaia 59. v. 5. (2) Paulus Bonius Eugubinus, Eloquentiae Professor.

tractationem finiendo, utrique parti vel silentium de ea perpetuum imponatur, vel permittatur, ut in suo de eadem sensu quælibet pars abundet, sicut hæc electione Superiorum. Sed isti non videntur satis ponderasse, ne, silentium illud imponendo, veritas fidei (ad quam, uti dictum est in prima adducta ratione, pertinent res, de quibus hic controvertitur) in aliquibus sui partibus superprimatur; ne Catholicis Doctoribus in tot sue professionis questionibus, quot in secunda ratione tactæ sunt, restringantur ora; ne hæreticis dilatentur & corda ad gaudium, ac suspiciones, & ora ad improperium, & gloriationem, de quibus in ratione quinta. Denique nec iidem videntur satis penetrasse, ne per istam liberiores permissionem utrique parti in suo sensu abundandi, in tot questionibus, per totum corpus Sacrae Theologiae diffusis, & falsitas in negotio fidei in aliquibus reipsa confirmetur, & veritas doctrinae Scholæ Christianæ in pluribus videatur transformari in certitudinem opinionum Academiae Stoicæ.

Verum qui hanc teneant partem jam dictæ mediationis, ut id videantur doctius agere, solent allegare ex Epistola Cælestini Papæ verba illa, quibus, post adductas quasdam fidei regulas, ultimo clauditur: *Ad confitendum gratiam Dei satis sufficere, arbitramur, quidquid, secundum prædictas regulas, Apostolica Sedes nos scripta docuerunt.* Adhuc hæc præterea: *Profundiores vero, difficultioresque partes incurrentium questionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis resistunt, sicut non audeamus contemere, ita non necesse habemus astruere.* Atque addunt ipsi, ad hoc genus questionum eas pertinere, de quibus modo controvertitur. Ubi considerare debent primum, quod, sic median-do, recedunt a professione partium, quarum causam agunt; cum earum utraque (ut dictum est in prima ratione) profiteatur, sententiam, quam tetur ipsa, tenendam esse fide. Secundo, quod etiam illi, ob quos scripta est Epistola Cælestini, ad suam ab aliis rectius sentientibus disensionem excusandam, prætendebant, ut ibidem additur, Christianam fidem per eam non violari, sed, id an ita esset, referri oportebat ad Apostolicam Sedem. Tertio, quod de ipsa doctrina, in Regulis istis definita, questiones aliquæ in hac controversia disceptentur, qualis ea in primis est, quæ in eadem ratione indicatur. Unde primus bonus usus, seu motio bonæ voluntatis? Et: *An aliquod divine Gratiæ subtrahatur?*

Sed & aliqui ex iisdem mediatoribus, seposita profus doctrinae consideratione, istius sui iudicii rationem petunt ex personis eorum, inter quos versatur controversia. Nam, cum sint utrique magnæ non tantum eruditionis, & pietatis, sed etiam existimationis, & sequelæ, timendam, inquit, ac proinde cavendam (etiam sic postponendo doctrinae causam) ne, si alterutrius partis opinionem condemnentur, gravem in Ecclesiæ Dei allatum sit ruinam. Et hanc rationem tanto magis urgent, quod existimant, prout eorum quisque alicui parti est addictus, alteram, non tam doctrinae, & veritatis zelo, quam invidia, & æmulatione contra eam ferri. At qui ratiocinantur isto modo, non videntur considerare, quod præter temeritatem iudicii de aliis, in quam forte incurrunr, illis etiam, quorum suscipiunt patrocinium, injuriam potius ita irrogant, quam defensionem præstent: cum deberent sibi, aliisque persuadere, & de eorum pietate, & eruditione confidere, quod Sedis Apostolicæ futuram decisionem, sicut se facturos, utrinque profitentur, ut dictum est in tertia ratione, reverenter, &

humiliter amplectentur; & de eorumdem existimatione bene sperare, quod per eam sapient, & sedabunt, si aliqui motus per aliquos, qui præcipitantes eos sequuntur (ut additum est in quarta ratione) excitandi forent. Insuper recolendum huiusmodi mediatoribus, quod olim, uti est superius indicatum, magnæ fuerunt sanctitatis, & eruditionis, immo & supereminens in Ecclesiæ gradus, & auctoritatis, ac proinde sequelæ copiosæ, qui de argumento hoc dissidebant; & quod tunc etiam audite sunt querelæ graves, qualis illa fuit Juliani, qua, velut comminando, *Doctores, inquit, nostri temporis, & nefarie, quæ adhuc servet, seditionis auctores, ad hominum, quorum sanctis studiis utuntur, contumelias, & exitium decreverunt per quantum totius Ecclesiæ pervenire: non intelligentes, quantum his contulerint honoris, quorum ostenderent gloriam, nisi cum Catholica Religione, non potuissent convelli.* Et tamen, istis omnibus non obstantibus, Apostolica Sedes, pro consueta sua sollicitudine, circa argumentum hoc, superius declarata, quotiescumque de eo mota est controversia, remedium semper adhibuit, docendo, quid tenendum, quid vitandum. Tandem & hoc deberent considerare, non deesse modo Ecclesiæ Dei Reges, atque Principes, qui, si quos contingeret reperiri refractarios, in Sedis Apostolicæ definitione recipienda, ad id eos, Honorii, & Theodosii instar, legibus suis compellerent.

Secundo loco sunt, qui, cum videant necessarium, ut ad definitionem aliquam veniatur, putant, eam sufficere, quæ fiat, suspendendo, seu prohibendo libros, in quibus evulgata est doctrina non probanda, de presenti controversia. Sed & hi deberent considerare, quod, ut se res habuisset, si libri illi, de quorum doctrina controversia hæc est primum mota, fuissent ab initio suspensi, aut prohibiti, vel si adhuc spes haberi posset, quoad suspendendos, seu prohibendos alios libros de eodem argumento, postea evulgatos, factis esset; at tamen post tam diuturnam eisdem argumenti examinationem, in qua permixtum est Patribus, utrinque de eo disputare, probandane sit, an improbanda; si non sequatur tandem peculiarior declaratio, quenam ejus propositiones improbandæ, quenam sint probandæ: id præterquam quod videtur daturum occasione Sæcularis liberius iudicandi, & aliis perplexius suspicandi, cur non fiat, ac etiam quousque fiat ejusmodi declaratio; si qui adhuc tenere velint, aut tueri propositiones aliquas ex iis, quæ merentur improbari, præterere poterunt, non propter illas, sed ob alias factam librorum suspensionem, seu prohibitionem. Et si alii alias aliquas propositiones in iisdem libris, alioqui veras, & Catholicas, sed quas ipsi forte non intelligunt, voluerint repudiare, prætextum ad id similiter petent ex eadem suspensione, seu prohibitione. Quales & futuros aliquos, facilius sibi persuadebant, qui ex his, quæ olim acciderunt in hac causa, propius consideraverint; quod, quando Cælestinus Papa insignem illam commendationem, de qua supra, in D. Augustinum, ob ejus hoc de argumento doctrinam, post ipsius obitum protulit, qui tunc in Galliis reliquias Pelagianismi sequebantur, occasione inde sumpta, quod non essent expressi libri a Pontifice, in quibus doctrina ejus continetur, commendationem sic interpretati fuerant, ut ad priores Augustini libros, de hoc argumento scriptos, eam referrent; sed posteriores, in quibus ipsi expressius refutati erant, eidem subtraherent. Unde necesse fuit Hormisdæ Papæ, declarare, doctrinam hanc in postremis his Augustini libris maxime contineri. Quod cum tunc ita accidit circa encomium librorum, qui jam antea erant omnes

omnes editi, certe, si nunc post ejusmodi examinationem, qualis jam facta erat, ut aperta pernicies damnaretur; quasi nulla heresis aliquando, nisi Synodi Congregatione damnata sit, cum potius variflima invocantur, propter quas damnandas necessitas talis existerit, multoque sint, atque incomparabiliter plures, quæ, ubi existerint, illic improbari, damnarique meruerunt; atque inde per ceteras terras devitandæ innotescere poterunt. Verum istorum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum quoniam, Domino eis resistente, pervertere nequeunt, saltem commovere conantur. Cum potius vigilantia, & diligentia Pastoralis, post factum illis competens, sufficientique iudicium, ubicumque isti lupi apparuerint, conerendi sint, sive ut sanentur, atque mutantur, sive ut ab aliorum salute, atque integritate vitentur. Quibus addendum insuper, cum præcipue quedam questionum, de quibus in hac controversia disceptatur, pedant ex interpretatione quorundam Capitulorum, seu Canonum, quæ, a Sede Apostolica olim definita, renovantur, etiam in decretis Concilii Tridentini, quod eadem Sancta Sedes difficultates, & controversias, si quæ ex iis decretis ortæ fuerint, sibi declarandas; & decidendas reservavit.

Tertio igitur loco agnoscunt alii, pro hac controversia finiendâ, necessariam esse definitionem, in qua particulariter declarantur Propositiones, quæ in ea approbandæ sint, vel improbandæ: sed definitionem istam referendam volunt ad Concilium, quod putant necessarium, propter eam congregari. Sed & isti scire debent, quamvis prima, & præcipua causa Concilia congregandi sit propter controversias, quas de doctrina fidei contingit exoriri; tamen, ut Sedes Apostolica de his definire quidquam differat, quousque ad Concilium deferantur, effectus postulat nimis insolens, quod res ipsa sæpe id nec patitur, ut in presenti causa, nec plerumque etiam potest. Et certe consuetudo Ecclesiastica id ipsum minime probat. Quæ de re quia præjudicata sententia est D. Augustini in causa, quæ de argumento hoc, ejus tempore, tractabatur, libet ipsius verba hic subiungere. At igitur: (1) *Aut vero Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur; quasi nulla heresis aliquando, nisi Synodi Congregatione damnata sit, cum potius variflima invocantur, propter quas damnandas necessitas talis existerit, multoque sint, atque incomparabiliter plures, quæ, ubi existerint, illic improbari, damnarique meruerunt; atque inde per ceteras terras devitandæ innotescere poterunt. Verum istorum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum quoniam, Domino eis resistente, pervertere nequeunt, saltem commovere conantur. Cum potius vigilantia, & diligentia Pastoralis, post factum illis competens, sufficientique iudicium, ubicumque isti lupi apparuerint, conerendi sint, sive ut sanentur, atque mutantur, sive ut ab aliorum salute, atque integritate vitentur. Quibus addendum insuper, cum præcipue quedam questionum, de quibus in hac controversia disceptatur, pedant ex interpretatione quorundam Capitulorum, seu Canonum, quæ, a Sede Apostolica olim definita, renovantur, etiam in decretis Concilii Tridentini, quod eadem Sancta Sedes difficultates, & controversias, si quæ ex iis decretis ortæ fuerint, sibi declarandas; & decidendas reservavit.*

Cum igitur Controversia hæc, ad Sedem Apostolicam dudum evocata, & coram ea tandiu tractata sit, ab eadem etiam expectanda ejus definitio, & exoptanda, tam felici expeditione, tam plena, & expressa veritatis declaratione, quam necesse est, ut & eadem controversia cum omnibus suis incommotis sedetur tempeste, & aliis susci-

tandis perfecte via præcludatur. Ad quæ Ecclesiæ suæ præstanda beneficia, est quidem laudanda Dei providentia, qua ex his unum præfecit Pontificem Summum, qui in tractanda ista controversia hæcenus præfuerunt. Verum ne, pro ea tractanda atque terminanda, existimeret, is debere se ipsum nimium aggravare, juvenit, spero, ut in memoriam revocetur, quomodo olim Pontifices Summi in similibus causis, etiam quæ de hoc ipso argumento tractabantur, alios sibi adhibuerunt idoneos collaboratores. Nam, quod notum est ex ipso D. Augustino, & notavit D. Prosper paucis hicce verbis, *Bonifacius Papa, cum esset doctissimus, adversus libros tamen Pelagianorum Beati Augustini Episcopi Responsa poscebat.* Et ipsius D. Prosperi industria, atque opera, contra Semipelagianos usi sunt, & adjuvi non parum Cælestinus, atque Leo, doctissimi, sanctissimique Pontifices.

Qui autem laborem nunc, & operam præstaturi sunt, in primis propositam sibi, quam sequantur, habere debent doctrinam, quæ de hoc argumento olim definita est a Pontificibus, & Conciliis, defensa a D. Augustino, & secutus eundem Doctoribus, nominatim Sando Prospero, & Beato Fulgentio, & inter Scholasticos a D. Thoma præcipue explicata. Et de doctrina quidem Sancti Augustini, quæ ea hic sequenda sit, non potest movere questionem, nisi qui vult, Sedis Apostolicæ de ea sequenda iudicium, & statuta antiqua in dubium revocare, quibus insistent merito Clemens Papa VIII. in prima Congregatione, quam pro controversia hac, in presentia sua tractanda, indixit, audientibus nobis omnibus, has voces, Pontifice Summo dignas, gravissime pronuntiavit: *Cum a suis Prædecessoribus doctrinam D. Augustini, tanquam hereditariam quandam Apostolica Sedes dotem accepit, firmissimo sibi propositum est decreto, eandem ad Successores quoque suos transmittere illibatam.* Et certe experientia hæcenus notum est, quod & olim qui eam doctrinam ausi sunt reprehendere, vel convellere, in hoc ab Ecclesiâ Dei fuerunt semper repudiati, & nostris his temporibus, qui, eadem postposita, voluerunt aliam sequi, tanquam magis opportunam ad Sæcularis consuetudines, in ejusmodi opinioniones sunt prolapsi (hoc ipsum iusto Dei iudicio pro merito) quæ una cum erroribus Sæculariorum ab Ecclesiâ sunt reprobata. Quod vero ad Prosperum, & Fulgentium attinet, cum doctrinam Augustini ad amissam sint secuti, eo sunt in causa hac oportuniore ipsorum Opuscula, quod Augustiniana doctrinae eam partem sint præcipue profecuti, in qua reselluntur peculiariter Semipelagianorum errores, ad quos propius accedere reputantur opinioniones, de quibus in controversia hæc tractatur. Inter Scholasticos autem præcipuo hic habendus loco D. Thomas, quippe qui, B. Augustini uti Spiritum purius hausit, sic & doctrinam perfectius imbibit, & copiosius explicavit.

Secundo necesse est, iidem tales sint, qui cum proposito doctrinam hanc sequendi, etiam verum ejus sensum, & intelligentiam sint assecuti: quod idcirco magno opere considerandum, quia & annis jam elapsis præcesserunt, & modo reperiuntur Doctores aliqui, & Scriptores, qui, cum profiteantur, se doctrinam sequi D. Augustini, tamen sic eam intelligunt, & exponunt, ut certum sit, quod non ex Augustino intelligentiam istam, atque sensum hauserint, sed, cum aliis aliis imbuti opinionibus, ad D. Augustini lectionem accesserint; ex iis doctrinam illius eo modo sunt interpretati, quo commodius apparebat, posse trahi ad

ad eadem opinionem confirmandas. Atque ita, quia, legendo D. Augustinum, non observant insignem illam, & necessariam conditionem, quam in lectore bono requirit D. Hilarius, ita scribens, (1) *Optimus lector est, qui dictarum intelligentiam expectet ex dictis potius, quam imponat, & retulerit magis, quam attulerit; neque cogat, id videri dictis contineri, quod ante lectionem presumpsit intelligendum;* propterea mirari minime debent, si, postquam se dederunt ad scribendum, quamvis libros suos testimoniis D. Augustini impleant, (id, quod optimum est ad persuadendum simplicibus, quidquid volunt) nihilominus, qui sunt intelligentiores, reprehendant, ostendunt, & non immerito offenduntur, ejusmodi libros sensu, & saepe spiritu Augustini esse destitutos.

Tertio, qui jam dictam operam praestituti sunt, perfectos habere debent Pelagianorum, & Semipelagianorum errores, quos (praeter ea, quae de his habentur in Conciliis Africanis, & Arausiano, & in Epistolis Pontificum) S. Augustinus, & D. Prosper in variis locis, certiore fide, & notitia referunt. Et pro praesenti quidem controversia, penitus expedit ponderare doctrinam Semipelagianorum, quae recensetur a Prospero, & Hilario in Epistolis suis ad D. Augustinum; & ab eodem Prospero in Carmine de Ingratis comparatur cum doctrina Pelagianorum; a Cassiano in Collatione de protectione Dei, & a Fausto Rhegiensi in duobus suis libris (de quibus supra traditur, & explicatur; & etiam in Capitulis Caesertini Papae, & in Canonibus Concilii Arausiani condemnatur, opposita veritate in iisdem confirmata. Atque cum doctrina hac, ita ponderata, conferenda sunt opiniones, de quibus in praesenti controversia disceptatur, tam quoad sensum, quam etiam quoad verba. Quae, quoniam utrobique apparent sic diversa, ut ibi consueta Scripturis Sacris, & antiquis Patribus adhibeantur verba, hic substituantur termini, in Scholis ob docendi commoditatem usurpati, ad certius cognoscendum, & declarandum, quomodo, quae scholasticis terminis sunt expressa, explicari possint, atque debeant verbis, ut vocantur, positivis.

Quibus subsidiis preparatis, potest, invocata ante omnia Spiritus S. gratia, quae hic fiet definitio, ad hunc modum digeri, & ordinari: nempe ut, ad imitationem fere Capitulum Caesertini Papae, & Canonum Leonis Magni in Concilio Arausiano, propositiones, quae declarabuntur condemnatae, sigillatim disponantur, apposita, si videbitur, qualitate Censurae, quam merentur, & ad singulas adjunctis brevissime aliquot testimoniis, tum ex Scripturis Sacris, tum ex antiquis in hac causa definitionibus, & doctrina, quibus ejusdem condemnationis & reddatur ratio, & opposita veritas probetur, & confirmetur. Et, ut damnatae ejusmodi propositionibus suspicio omnis, & calumnia accedendi sive ad Lutheranismum, aut Calvinismum, sive ad Pelagianismum, aut Semipelagianismum, sive ad quemcumque alium aut in sensu, aut in verbis, de argumento hoc errore, prorsus evitetur; expedit forte, ubi id occasio exigit, damnationem addere quarundam propositionum, errores ejusmodi quomodocumque sapientium, quae sicut a liquem facere possit suspicionibus istis, atque calumniis. Nec videtur adhuc necessarium, ut in his omnibus ulla fiat mentio, immo expedit forte, pro honore partium conservando, ut nulla fiat vel Doctorum, quorum sunt damnatae propositiones, vel librorum, ex quibus deponentur. Nam, si posthac, per quamcumque ex iisdem partibus occasio detur ita faciendi, facile fuerit, sine ulteriori strepitu, ejusmodi libros in prohibitorum Catalogum referre.

Haec, Beatissime Pater, quae, instigante Te, accepi, & pro perpetuo meo in Te amore, & observantia, haecenus petraclavi, pro ea, quam nunc majorem deo, reverentia, & honore Sanctitatis tuae, sub ejusdem correctione, & censura humiliter offero: quem ad supremum hunc in terris gradum, tam inexpectata electione, tam insolita haecenus vocatione, pro omnium tamen votis, a summo caeli Deo assumptum, quo altius considero, & certius inde spero, id a Divina ejus providentia destinatum ad beneficia maxima, & plurima per ministerium tuum Ecclesiae suae praestanda, & inter alia ad controversiam hanc, quae tam magni est momenti, feliciter definiendam. Eo fidentius opto, & devotus oro, in primis generatim pro Ecclesia Dei, ut haec tua assumptione sit Romae in triumphum, antiquis illustriorem, Italiae in gloriam, Hispanis in gaudii incrementum, Gallis in securitatem, Britanis in spem certam, in robur Germanis, & finitimis nationibus, Christianis omnibus in consolationem, Catholicis in constantiam, Haereticis in resipiscantiam, Schismaticis in reconciliacionem, Paganis in notitiam veri Dei, Judaeis in agnitionem Jesu Christi, Militiae Christianae in praesidium, & Christiani nominis hostibus in exterminium. Deinde pro hac speciatim causa; ut is Princeps Pastorum, Deus, ac Dominus noster Jesus Christus, qui per tuos Praedecessores, Innocentium, Zozimum, Bonifacium, abegit lupos manifestos, pro Caelestium, Sixtum, Leonem, Gelasium, Hormisdam, Joannem, coercuit occultos, idem per Pastorem bonum, Rectorem Sanctum, Paulum Pontificem, sic pascat, regatque oves, oviculas, & agnos suos, ut, qui hic tentat, seu timetur, Spiritus, sive superbus Pelagianus, aut Semipelagianus, non eos elidat, sive stolidus Lutheranus, aut Calvinianus, iisdem non illudat.

SANCTITATIS Tuae

Petrus Lombardus
Archiepiscopus Armachanus.

SANCTITATIS Tuae

Petrus Lombardus
Archiepiscopus Armachanus.

(1) Lib. 1. de Trin.

XIII.

CANONES
DOCTRINAE DAMNANDAE

A Consultoribus ultimo elaborati, jubente PAULO V. (1)

Dicere, quod, in statu naturae lapsae, vires naturales liberi arbitrii eadem prorsus, seu tales, secundum se, in nobis manserint, quales illas esse fecerit, si homo fuisset conditus in statu mere naturali, ad finem tantum naturalem; quasi peccatum primi hominis, non nisi in supernaturalibus, nocuisset ejus posteris, adversaria doctrinae, in Ecclesia tum olim contra Pelagianos, eorumque reliquias definita, ac defensae, tum novissime in Concilio Tridentino confirmatae; quando, agendo de vi naturae, expresse tradit, liberum arbitrium viribus esse attenuatum, & inclinatum. Est & hoc conforme antiquis definitionibus, & doctrinae, in Ecclesia semper traditae, & creditae, quod in eodem Concilio contra haereticos hujus temporis declaratur, ac definitur, liberum arbitrium, post Adae peccatum, non esse extinctum, aut amissum. (2) Quod quia similiter intelligitur, quoad vires conditionis suae naturalis; ideo huic definitioni non repugnat, quod liberum arbitrium, spectando vires, quas ex largitate gratiae accepit, dicatur amissum, ac perditum: quomodo non repugnat, quod, retenta libertate naturali, libertas gratiae dicatur perisse.

Ita sentio, Petrus Lombardus, Archiepiscopus Armachanus.

Ita est, Archiepiscopus, F. Joannes de Rada, Episcopus Patensis.

Ita sentio, F. Julius Sanctucius, Episcopus S. Agathe Gotborum.

Ita sentio, Lelius Landus, Episcopus Nevitonen-sis.

Ita sentio, F. Hieronymus Palanterius, Episcopus Bitontinus.

Ita sentio, F. Anastasius a Brixia, Abbas Farfensis.

Ita sentio, F. Joannes Baptista de Plumbino, Ordinis Eremitarum S. Augustini Procurator Generalis.

Ita sentio, F. Gregorius Nannius Coronel, Secretarius.

Ita sentio, F. Jacobus le Bossu, Religiosus S. Dionysii in Francia, Doctor in facultate Theologiae Parisiensis.

Dicere, quod parvuli, cum post Judicii diem resumpserint sua corpora, liberabuntur supernaturaliter ab omnibus molestis, & aerumnis, quibus in hac mortali vita subjacemus, melloremque in naturalibus vitam, vitio omni mentis, & corporis immunitem, in perpetuas aeternitates ducent, quam ullus unquam mortalium duxerit, temerarium est, nimiumque accedens ad illum, ab (3) Ecclesia Dei errorem semper habitum, adeoque in Pelagiano, & Caesertiano dogmate condemnatum, quo dicebantur parvuli, etiam si non baptizentur, adeoque exclusi maneant a Regno Caelorum, aeternam, ac beatam quandam vitam, sed extra Caelum, habere.

Ita sentio, Petrus Lombardus, Archiepiscopus Armachanus.

Ita est, Archiepiscopus, F. Joannes de Rada, Episcopus Patensis.

Ita sentio, F. Julius Sanctucius, Episcopus S. Agathe Gotborum.

Ita sentio, Lelius Landus, Episcopus Nevitonen-sis.

Ita sentio, F. Hieronymus Palanterius, Episcopus Bitontinus.

Ita sentio, Dom. Anastasius Abbas S. Mariae Farfensis, Ordinis S. Benedicti.

Ita sentio, F. Joannes Baptista de Plumbino, Ordinis Eremitarum S. Augustini Procurator Generalis.

Ita sentio, F. Gregorius Nannius Coronel, Secretarius.

Ita sentio, F. Jacobus le Bossu, Religiosus S. Dionysii in Francia, Doctor in facultate Theologiae Parisiensis.

Dicere, quod in statu naturae lapsae homo, solo concursu Dei generali, absque alio dono, vel auxilio gratiae, possit efficere opus bonum morale, quod fini naturali hominis accomodatatum, atque comparatione illius sit vere bonum, veraque virtutis opus, referendo illud in Deum, naturaliter cognitum, id doctrinae illi contradicit, qua contra reliquias Pelagianismi olim definitum est, (4) quod, post peccatum primi hominis, nullus operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum, & misericordia Divina praevenerit. Ex qua tamen doctrina nequaquam sequitur, quod omne opus, quod sine speciali gratia sit ab homine, etiam infideli, sit peccatum.

Ita sentio, Petrus Lombardus, Archiepiscopus Armachanus.

Non placet Censura, seu propositio, nisi intelligatur quoad opera ardua, & difficilia. Archiepiscopus, F. Joannes de Rada, Episcopus Patensis.

Affero, hanc propositionem verificari, nedom de opere arduo, sed etiam de bono; ornato omnibus circumstantiis. F. Julius Sanctucius, Episcopus S. Agathe Gotborum.

Ita sentio, ut in Censura, Lelius Landus, Episcopus Nevitonen-sis.

Ita sentio, ut in Censura, F. Hieronymus Palanterius, Episcopus Bitontinus.

Placet mihi propositio, ut jacet in Censura, Anastasius, Abbas Farfensis.

Placet propositio, modo addatur *ly arduum*, cum debitis circumstantiis, & ab homine posse fieri opera praesentis vitae, ex sola facultate naturali. F. Joannes Baptista de Plumbino, Ordinis Eremitarum S. Augustini Procurator Generalis.

Approbo Censuram propositam, F. Gregorius Nannius Coronel.

Approbo simpliciter Censuram; immo dico, esse duplicem malitiam propositionis: unam, quod possit homo sine gratia facere bonum opus; alteram, quod possit illud referre in Deum. Ego F. Jacobus le Bossu, Doctor Sorbonicus.

Qui dixerit, quod, quotiescunque homo ex viti-

(1) Ad Caput 19. libri 4. Histor. de Auxiliis. (2) In Epist. Caesert. 1. cap. 4. In Conc. Araus. Can. 13. & 25. In Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. & Can. 5. (3) S. August. Epist. 108. lib. de haer. cap. 8. (4) In Concil. Arausiano. Can. 23.